31.
32

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS

DE

# PHTHISI PULMONALI SCIRRHOSIS PAROTIDIBUS JUNCTA.

*QUAM,*

ANNUENTE DEO TER. OPT. MAX.

*Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,*

D. JOANNIS ORTWINI WESTENBERGII,
J.U.D. ET JURIS CIVILIS ROMANI, AC HODIERNI, IN ACADMIA LUGDUNO-BATAVA, ANTECESSORIS ORDINARII;

NEC NON

*Ampliſſimi* SENATUS ACADEMICI *Conſenſu,*
*& Nobiliſſimae* FACULTATIS MEDICAE *Decreto;*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summiſque in MEDICINA Honoribus ac Privilegiis,
rite & legitime conſequendis,
*Eruditorum Examini ſubmittit.*

ERICUS SCHEPPERUS
Holmia - Suecus.

*Ad diem* 3. *Aprilis* 1733. *hora locoque ſolitis*

*LUGDUNI BATAVORUM,*
Apud CONRADUM WISHOFF, 1733.

# DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

*DE*

# PHTHISI PULMONALI SCIRRHOSIS PAROTIDIBUS JUNCTA.

*QUum honeſta quædam Matrona Amſtelodamenſis quadraginta quinque circiter annorum, temperie atrabiliariâ, vitam agens Sedentariam, phthiſi pulmonali hæreditariâ labe acquiſitâ jam dudum fuiſſet vexata, una cum conſumtione totius corporis habitus, cum febre lenta & continua tuſſi conjunctæ; ſub aure dextra ad latus colli tumor quidam durus ſed prorſus indolens ſe manifeſtavit, unde ab ægra diu fuit neglectus, donec poſt præterlapſum aliquod tempus indies augeri & magis magiſque accreſcere inceperit. Poſt aliquod dein ſeptimanas ſub ſiniſtra quoque aure ex improviſo ſubortus fuit ejuſmodi tumor, priori per omnia ſimilis, niſi quod citius increſcendo adoleverit. Acceſſit ſumma deglutiendi difficultas doloris & ardoris ſenſu ſatis notabili juncta adeo ut omnem, ore aſſumtis tam eſculentis quam potulentis licet valde inſipidis tranſitum denegare velle videretur. Petit conſilium.*

SIquidem ex hiſtoria morbi pateat præſentem affectum tabem pulmonum eſſe parotidibus Scirrhoſis junctam, ulteriori nominum inquiſitioni ac definitioni ſuperſedeo, quippe quæ apud Authores ſatis prolixè delineata occurrunt.

Diagnoſis ſumenda eſt ex ordinariis morbi Symptomatibus, Contabeſcentia ſcilicet totius corporis conjuncta cum febre lenta, tuſſi & continua exſcreatione viſcidi ſanguinei & purulenti muci. Quæ omnia ratione tumoris ſcirrhoſi parotidum eatenus conſiderari poſſunt tanquam ſigna pathognomica ipſi morbo propria & ab eo inſeparabilia, quatenus ſi non omnia ſimul, plæraque tamen morbo hocce afflictos invadere ſolent; ſcirrhi vero haud ita frequenter, unde tanquam ἐπιγενόμενα magis inſolita in caſu præcedente ſiſtuntur.

Cauſam proximam hujus mali eſſe ulcus pulmones exedens unanimi conſenſu teſtantur Authores quo debitæ ſanguinis attenuationi ac perfectæ elaborationi inepti redduntur, unde tenacitas viſcoſa ſanguini conciliata anſam præbet variis obſtructionibus ac humorum per vaſa capillaria immeabilitati. Favent quoque obſtructioni vita ſedentaria, refrigeratio, compreſſio ſexcentaque alia, quorum ope liquida ulterius inſpiſſantur, vaſa arctantur, ſecretiones atque excretiones materiæ vaſis infarctæ & folliculis glanduloſis, utpote extra torrentem ſanguinis contentæ impediuntur.

Prognoſis utique triſtis eſt formanda: Probe enim gnarus in Phthiſi adulta ac inveterata, ubi adeo profundas jam egit radices omnem Medici conatum irritum

tum eſſe, partim ob ſummè raram perpetuoque motu vexatam pulmonum compagem, partim ob nimium remotum hujus viſceris ſitum, quorſum vix ac ne vix quidem medicamenta pervenire poſſunt, niſi maximam partem virtute ſua ſpoliata. Timendum denique ne ſcirrhoſæ parotides in corpore cacochymo viribuſque exhauſto medicamentis haud cedentes exſtirpatuque impoſſibiles per ſe quidem innocuæ, ex compreſſione vero & inde motu incitato nata inflammatione vicini utpote oeſophagi aliarumque partium, varios funeſtiſſimos producant effectus, qui ex natura & officio læſi & comprimentis facile deducuntur.

Cura duabus innititur indicationibus (1) ut vomica pulmonum maturetur & (2) cito citius rumpetur. Priori Indicationi ſatisfit victu lacteo, poſteriori æquitatione alioque motu concuſſivo. Hæcce vero ab ægra omiſſa, utut uſus eorundem ipſi eſſet commendatus, donec purulenta pulmonum conſumtio adeo propagata fuerit, ut ſolo concuſſu tuſſiculoſo vomica in laryngis tubos rumperetur. Poſt vomicæ perruptionem longo quodam temporis intervallo ipſi propinata ſunt pauca quædam balſamica & expectorantia cum decocto hordei ſeminis lini, paſſularum exacinatarum, & amygdalarum dulcium, ad muniendum ſanguinem contra purulentam infectionem, ad evacuandum ulcus pure, & denique ad ſubminiſtrandum corpori nutrimentum minima vi indigens ut per pulmones tranſmittatur ibique ſubigatur.

Symptomata, inter quæ haud infimum occupant locum parotides ſcirrhoſæ jam conſideranda veniunt. Novimus ex hiſtoria morbi data, tumores duros &

 do-

doloris expertes ſub utraque aure ad latera colli ſubortos fuiſſe, qui auctâ mole œſophagum comprimendo ſummam deglutiendi difficultatem induxerunt. Ore aperto, nulla introſpicienti apparuere inflammationis ſigna: Nihilominus tamen ægra de vehementi dolore & ardore in deglutiendo etiam leniſſima quævis conquerebatur, unde ex viæ anguſtiâ & valido deglutiendorum in tranſeundo attritu partis hujus inflammationem ortam fuiſſe, facile eſt judicatu. Cura duo poſtulat (1.) ut cauſa morbifica (2.) ſymotomata removeantur. Urgens ſymptoma dolor eſt inflammatorius ideoque illius ratio prius habenda: Primaria igitur remedia eſſent Venæ ſectio larga in copia admiſtrata & valida alvi ſubductio per purgantia ore hauſta vel clyſmatum inſtar injecta, niſi hæc a virium debilitate contraindicentur. Tentata itaque fuit reſolutio tumoris externè per cataplaſmata ex Fl. Chamomil. Melilot. Alth. Lil. alb. Cent. Min. Verbaſci Fol. abſinth. rutæ, ſabin. Marrub. Rad. bryon. cucum. aſinin. Irid. Florent. additis Sp. Vini theriacal. & camphorat. Ex cepis Gum. Ammon. Bdell. Galb. Opoponac. ficubus ſub cineribus aſſatis in pultem contuſis & calidè applicatis: Vapore exhalantis aceti in quo Sal Ammoniacus ſolutus per infundibulum ad locum affectum determinato, parte deinceps pannis laneis leniter fricta. Internè emulſiones aliaque emollientiſſima quævis nitroſis ſubacidiſque medicamentis mixta adhibita fuere, una cum aſſiduè hauſto infundibuli ope vapore calido aceti Sambuc. Roſar. Calendul. cum anatica quantitate aq. Roſar. plantag. Sambuc. mixti. Ad reliqua ſymptomata ex natura principis morbi nata mitiganda, palliativè fuit tractata variis

pro varietate ſymptomatum remediis: Erant autem ſequentia: Sudor nocturnus ingens; febris hectica cum pulſu parvo & languido; appetitus proſtatus; Sitis magna; debilitas ſumma; hæmoptoe; Sanguinis per nares Stillicidium; Diarrhœa nigra, fœtida, purulenta, cadaveroſa, ſanguinolenta, ſummè debilitans; ſputi ſuppreſſio; ſudor frigidus; reſpiratio ſtertoroſa, anxietaſque inexplicabilis, donec tandec mors unico eſſet miſeriæ ſolatio.

F I N I S.

# COROLLARIA.

## I.

*Vt Indicantis ita quoque contra indicantis ratio in therapeuticis habenda eſt.*

## II.

*Intelligentiæ Medici ſemper præſto eſſe debet accurata ſemejotices cognitio.*

## III.

*Læſa functione organorum reſpirationi inſervientium, oeconomia corporis plus minus turbatur.*

## IV.

*In ferendo Judicio de Scirrhis anceps dicenda eſt prognoſis.*

## V.

*Sublatis viribus vitæ omnis medicamentorum virtus tollitur.*

## VI.

*Defectus pulmonum nullo ſuccedaneo poteſt ſuppleri.*

## VII.

*Phthiſis hæreditaria peſſimi plærumque præſagii eſt.*

## VIII.

*Menſtrua evacuatio multum levaminis adfert ſexui ſequiori in morbis inflammatoriis.*

## IX.

*Specificum contra omnem phthiſin remedium non datur.*